um, ū otiari, magis placet, quam studia, ū studere, dubito, an ille Iuvenis istudendo bonum profectum facturus sit, ū dubito illum Iuvenem instudendo meliorem pro-fectum facturum, tamen scio, ū tamen non melatet, quod multi Adolescentes ludendo magis quam studendo delectantur. Necesse est illos Adolesc[illegible] mul[illegible]

Exercitium[tum]

Scholasticum Die 25ta Maii
elaboratum Anno 1825to

Cui Adolescen=

[illegible]

SENIUM RELIGIOSUM VITÆ PRIVATÆ

à

Quodam de Societate IESU

Usui & utilitati propositum

cum Permissu Superiorum

LUBLINI

TYPIS Collegij Societatis JESU Anno Domini 1716.

Omne temporis momentum, quod sibi DEVS, extremâ vitâ suâ concederet, tanti æstimabat, ut non nisì in rerum pretiosarum tractationem, expendi vellet, B. Aloysij Vitæ *Lib. 2. Cap. 23. Pag. 361.*

Id ago, ut mihi, instar totius vitæ, sit dies. Seneca.

Cætera facilè restaurantur, sola temporis jactura, difficilè potest reparari.

Idem

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

PROPOSITA SENII RELIGIOSI.

I. ABstrahe te à Conversatione cum sæcularibus, quantùm licebit per leges honestatis Religiosæ, & conservationis amicitiæ Societati; abstrahe à correspondentijs literarum, correspondentia tua sit cum cælo, quò properandum est, ut meritò dicas: Conversatio nostra in cælis est.

2. A visitatione frequenti nostrorum, ab ingressu cubiculorum alienorum, decet se abstrahere totaliter, & totalissimè.

3. Candorem animi qui Christianum, & maximè Religiosum decet, omnibus præbe, secundùm Christi doctrinam: Est, est, non, non. Vnde omnes æquivocationes, insinceritates, restrictiones mentis, vità, ingens

ſenectutis dedecus, & animi Religioſi probrum, vel umbram hypocriſis.

4. Abſtrahe te à recreationibus noſtrorum, ad quas accedendum raró, idq́ modeſtè, agendumq́ in illis ad ædificationem omnium, nec impediendo alios loqui, nec tempus narrationibus ſubtrahendo, nè videaris ſolus velle loqui, & ſolus audiri.

5. Familiaritas, quæ ſingularitatem ſapiat, fugienda omnino, ut fias omnibus omnia.

6. Omnibus æqualiter familiarem te oſtende ſemper, & in omnibus, cum omni amore, & candore, quod Religioſi animi eſt.

7. Omnes, ſecundùm ſtatum eorum venerare religiosè, & ab intra, & ab extra, honorem debitum reddendo, & nulli etiam minùs addicto, negando.

8. Devotionem prætefer ſolidam, quâ non ſolùm exemplum alijs des, verùm etiam ut advertant Domeſtici, fieri à te

præ-

præparationem ad mortem Religiosam heroicam, soli DEO intentam, Eiq; immersam.

9. Cavebis curiositatem indagandi, videndi, audiendi, sciendi inutilia, non necessaria, aliena; cohibitâ enim hâc curiositate, ab innumeris te expedies curis, cogitationibus, consilijs, conjecturis, censuris, scandalis. Nunquam examinabis Personas ubi fuerint, cum quo, apud quos, & quas, quid locuti fuerint, quid fecerint, hæc enim prudentem virum dedecent, & occasio sunt contentionum, & variarum rixarum, illud sæpiùs expendendo. Attende tibi ipsi.

10. Æterna sæpiùs meditare, & Cælestia loquere, satis datum est mundo! ah satis! demus reliquum DEO! demus & totum, totalissimè demus!

11. Amor naturalis vitæ longioris, temperandus est voluntate DEI, atq; desiderijs cæli sæpiùs sincerè repetendis, etiam palam ad ædificationem & eruditionem aliorum

rum, Quid hic moramur! eundum! evolandum est ad Patriam! relinquendum exilium! vallis lachrymarum relinquenda, & ad delicias æternas properandum! Et quis ex fætido carcere, non evolaret in libertatem? O! cælum Libertas nostra, ad te evolandum est! quis mihi dabit pennas sicut columbæ, volabo! volabo! & requiescam in requie opulenta.

12, Commoditatum mediocris sit cura, sicut & sanitatis, ùt docet S. Pater, & sinè offensa Communitatis, sinè molestia Superiorum, & aliorum. Supplebit DEVS defectus aliorum, supplebit & internis consolationibus, & externis subsidijs.

13, Non pudeat te superiori, tanquam Patri proponere indigentias, non tamen eas excogitare, & extorquere, commoditates pretiosas, frequentesq; medicinas, delicatiora alimenta.

14, Visitatio Sanctissimi Sacramenti sit frequens, & longior; immerge te latenti

Deo

DEO velut piſcis Oceano bonitatis; immerge te velut apis alveario. Guſtate & videte quàm ſvavis eſt Dominus! non guſtabis, nisì hunc incarceratum Deum ſæpiùs viſitaveris, non ſenties ſvavitatem, nisí conſiderationem & frequentem & longiorem de Eo inſtituas.

15. Miſsa non omittatur ſinè gravi impedimento, in fortitudine enim Cibi iſtius pervenies ad montem Horeb.

16. Quotidie poſt prandium, fiat brevis meditatio de morte, vel lectio, vel utrumque. Vide Meditationes R. P. Pawłowſki S. I. de vita & morte, & tuam vide præparationem ad eandem.

17 Occupationes morientium P. Nadaſi relegendæ ſæpiùs, & imitatio exemplorum facienda.

18. Præparatio remota ad mortem, & proxima, formanda, & ſæpiùs relegenda, dicendumq; ſæpiùs: Cupio diſsolvi, & eſſe cum Chriſto! ah verè cupio! Os concordet cum corde.

Pax

19. Pax domeſtica cum Omnibus ſervanda eſt, omnibus ſuadenda, & quidquid illam turbare poteſt, cavendum, & diſsvadendum.

20. Superioris Authoritas tuenda, omnesque ad ejus amorem, & reverentiam inducendi, etiam per excuſationem illius defectuum.

21. Diſcolis, ac laxioribus, non favendum etiamſi alios dotibus ſuperent.

22. Factiones omnes fugiendæ & retegendæ cui licebit.

23. Patrocinium nemini promittendum, dandum tamen ſolatium, & conſilium, ſed ſecundùm Deum & Regulam.

24. Diſtributio temporis facienda pro ratione manſionis & valetudinis,

25. In curritorijs publicisq; locis non ſubſiſtes, niſi ex aliqua neceſsitate neq; te ul. trò adjunges ſubſiſtentibus, ſed tanquam urgente neceſsitate, aliò, vel ad cubiculum tuum feſtinabis, & multa mala evitabis.

Oc.

26, Occupationes senectutis erunt, ejaculatorij ùt plurimùm actus, qui componantur. *Viximus satìs terræ, viuamus jam DEO! & soli DEO vivamus! utinam!*

27, Otium quàm maximè in senio fugiendum, quod dedecet Perfectum virum, & æternitatem meditantem. Cura, ut inter illos sis, de quibus dicit Spiritus S. *Beati qui in Domino moriuntur, amodò dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis,* mors ipsa, requies sit laborum, & tota vita labor.

28 Otium vitari potest; jam ejaculatorijs actibus, jam visitatione Venerabilis Sacramenti, jam recitatione Coronæ Passionis Christi, vel B. V. jam lectione libri Spiritualis, jam aliquâ meditatione brevi, jam compositione librorum vel rerum &c. &c, revisione Imaginum Nostrorum MM. & Confessorum.

29 Cum Iunioribus, maximè de pretio Vocationis, amore, loquendum. Medita-

tio tanquam anchora Religiosæ vitæ commendanda. Et, vel breves mortificationes internæ, & externæ. à minimis incipiendum: quis enim turrim ædificare incipit à fastigio?

30. Obliviscere, quid fueris; nunquam officia, munia, talenta tua, prædica, nunquam merita commemora. Dic animô, *Imperfectum meum viderunt Oculi DEI & hominum, ah viderunt sed despexerunt!* Quidam ex Nostris Patribus, vir religiosi silentij, interrogatus, cur non adesset consvetis recreationibus? Respondit, non possum, quia in illis sedeo, sicut in Concione Germanica, cùm quærerent explicationem, (nullus enim loquebatur Germanicè) respondit, Non audio in recreationibus nisì ia, ia, ia. Erat quidam qui de se gloriosa loquebatur, & magnam partem recreationis accipiebat, referens acta sua, ia, ia.

31. Tuum negotium negotiorum sit, bene,

reli

religiosè mori. Vnde promotiones, aliorumq́; ascensus, dispositiones, non examina, non censura. Permitte DEVM facere sive intendendo, sive permittendo quod vult. Recogita potiùs tuas promotiones, quàm indignæ erant, multis querelis & magnis censuris plenæ, quàm onerosæ alijs, molestæ, DEO ingratæ.

32. Vitium est planè commune senum & turpissimũ, & communitati molestissimum; omnia curiosè indagare, scrutari, per suspiciones assequi, judicare temerè, suspicari, querulari, in aliorum ordinationibus, factis, sermonibus, displicere, omnia velle fieri secundùm suum sensum, & placitum, hæc omnia cave, & uni vaca DEO.

33 Delectantur varij senes, varietate ciborum, additamentis, non tam firmandæ valetudinis necessitate, quàm ostentationis causâ & aliquâ jactantiâ meritorum, respectûs, & hæc vanitas est; Contentus esto ordinarijs & delectare simplicibus: A-

liis ſi verè indiges, expone indigentiam ſuperiori.

34. Exigere à Iunioribus viſitationes frequentes, venerationes, adulationes, donaria, reverà vitium non Religioſorum eſt, præcipuè mortem meditantium, & cæleſtia appetentium.

35. Communiter ſenes parcitatem aliorum incuſant, præcipuè in cibo, & potu, & quandoque ſunt petaces pœcuniarum, ad faciendas proviſiones. His puerilitatibus, major animus debet eſse viri tendentis ad perfectionem, & perfectam mortem. Proviſio, quæ à DEO venit, ſaniſsima & ſapiſſima eſt, nutrit animam, & nutrit corp⁹

36. Senum quoque vituperandum vitium tardare greſsus, & aures applicare foribus, ut audias, quid in alienis cubiculis agatur, audiatur, & ideo bene ſuſpenſô pede procedere. Hæcciné ſenilis Prudentia? & Sanctitas eſt religioſa? hæc exemplaris vita? ſcrutamur aliena, & noſtra negligimus,

alios

alios corrigimus, & non corrigimur, bene Plato: *nemo curiosus, nisi malevolus*, ad quid enim aliena scire desideras, nisì, ut noceas, perstringas, diffames, & habeas, quod objicias? quæ omnia sunt non satìs Religiosi animi indicium.

37 Quotidie fac brevem recapitulationem superioratuum tuorum, de quibus infirmi & sani, Iuvenes, & Senes non erant contenti, incusabant modum agendi, fercula, potum, querebantur neglectæ Charitatis Officia, commoditatum, medicinarum, curam. &c. Horum memor, quidquid adversi tibi contigerit, fer patiente animô, & ut ampliora patiaris, in satisfactionem pro tuis imperfectionibus expete,

38. In observatione ordinis domestici, quantùm lecibet per valetudinem, cura esse exemplum; neq; credo hominis esse vivere sinè ullo ordine.

39. Mortificationes publicas in Refectorio quantùm permittunt vires, fac: hæ sunt

virtu

virtutum exercitium & alijs religiosum exemplum, & excitatio ad virtutem sui ipsius, ac aliorum.

40 Videant omnes, in omnibus actionibus tuis, te à mundo abstractum, non quærere ea, quæ mundi, quæ carnis sunt; sed quæ IESV Christi, salutis animæ tuæ, unde frequentes, pretiosas medicinas, non appetas, memor illius, *Contra vim mortis, non est medicamen in hortis.* senex es, medicinis protrahere potes vitam, (si tamen potes) & quantùm? & tamen moriendum est? sapiat tibi magis æternitatis, quàm vitæ temporalis modica prolongatio. O! utinam prolongatio vitæ, non sit augmentum vitiorum! Eundum est, ex hoc carcere, in libertatem Filiorum DEI! Eundum passibus virtutum, volandum alis innocentis columbæ, avolandum de terra secundùm illud: *assument pennas sicut aquilæ & volabunt.* & quoties tu talibus pennis volasti? assume vel in senio tales pen-

nas

nas, & cùm te vel ipse mundus deserit, tu desere mundum; Evola ad DEVM, DEVM immensæ bonitatis & misericordiæ.

41. Quotidie doctrinam S. Patris nostri meditare. Quod velles facere in articulo mortis, fac modò. Fac, nè differas, quia tempus non erit ampliùs! & modò breve est.

42. Optima præparatio senum ad mortem, est ordinata vita, & exemplaris in omnibus, per omnia, & omnibus.

43. Ad portam raró admodùm descende, idq; invitatus & invitus magìs, nec diu ad eam moreris, hoc enim alios offendit, & varijs suspicionibus dat locum, & censuris, præcipuè in senibus, quos decet magís Deo loqui, quàm hominibus.

44. Officinas noli visitare, quid enim ad te spectat earum visitatio? lustratio, solers attendentia? attende tibi ipsi, & audi Christum dicentem S. PETRO, *Tu me sequere quid ad te?* lustrare, cui, quid, faciat Vestiarius, inquirere; quis te constituit visitatorem?

otio

otiosorum est, non religiosorum, tales visitationes facere cum scandalo aliorum cum tui depretiatione, cum offensa multorum, & tuæ Personæ justô odiô, sed potiùs invita ad te Vestiarium & propone indigentiam tuam, dum aliquam habes.

4. Morositates senum vita, ùt sunt præcipuè garrulitas, sinè respectu loci, Personarum, temporis, exploratio alienorum factorum, dictorum, censuræ aliorum, suspiciones, vita immunditiem cubiculi, vestium, neglectum munditiei circa ablutionem faciei, manuum, circa pexationem capitis, compositionem vestium, ad mensam colloquia, murmurationē, displicentiam, projectionem cultrorum, cum strepitu orbium; dentium cultrô emundationem, mappulæ neglectam compositionem, molestam alijs sputorum excreationem frequentem; cubitorum supra mensam positionem, & capitis supra manuum inclinationem, quasi jam ferre caput non posśis, rotationem

fer-

ferculorum & in volatilibus ferculis, diuturnam detentionem, frustorum disjectionem, & morosam electionem. Vide, nè tuâ morositate, otiosam aliorum sessionem prolonges, ac tædiosam facias; accommoda te Communitati, cui, cura, ut senium tuum, in nullo sit molestum, & onerosum; te dùm curas, aliorum commoditates non negligas. Lege urbanitates Religiosas R. P. Drużbicki; & multa ibi disces, quæ ad ædificationem aliorum, & eruditionem practices.

46 Nec in primâ apprehensione quorundam, minùs religiosum habeas principium, *laboravi in Societate & quidem plùs alijs plùs multis debetur mihi* Debetur etiam mihi pretiosissima medicina, debentur commoditates, etiam cum omnium incommoditatibus, et similia &c. Appende in statera Iustitiæ Dei, labores tuos, et ex altera parte, repone Societatis Maternam tui educationem, præstitos favores, promotiones, defectuum dissimulationes, &c. agnosces minùs et minùs valere, labores Tuos

in tua æstimatione, nimiùm justò pretiosos; dic corde, ~~et ore~~; Pro nihilo salvabis me, et ita actiones tuas rectè æstimabis.

47 Neminem imperiosè, clamorosè contemptivè, alloquaris, omnibus te præsta affabilem, mansvetum, imò æqualem; humilé, et omnibus minorem, inferiorem, et cogita te in plano esse cum alijs, imò apud Deum longè et longissimè inferiorem, deteriorem!

48 Si adverteris, multa tibi fieri contraria, non secundùm mentem, et desideria, cogita, nec te omnibus satisfecisse, ìmò cogita, quid dicat Christus, superbis Deus resistit, superbis cogitationibus, desiderijs, actionibus, imò et necessitatibus, DEVs resistit quia cum superbia connectuntur; Resistentia est tuæ superbiæ, hanc exue, comprime elatiores affectus, et adversantia tibi, complanabis, Indue humilitatem, et DEVs propitius erit votis tuis, qui humilibus dat gratiam.

Ar-

49 Arrogantia senum, est omnia sibi licere, velut exlegem esse, ambulare per curritoria, in refectorio loqui, ubiquè locorum etiam clamorosè garrire, loqui, obloqui, reprehendere alios, monere, minari, exigere obsequia, imponere jussa, &c. omnes ausus, & libertates, absque pæna esse, absque vituperio! estnè hic religiosus animus qui ita judicat? estnè præparatio senis ad mortem, & mortem pretiosam? mortem gloriosam? homine Societatis dignam.

50 Noli cùm alijs, agere, velut pro potestate, nequè plùs alijs sapere velle, hoc enim & DEVM offendit, & homines.

51 Roga DEVM crebrò, ne te relinquat in manibus passionum tuarum, animæ irreverenti, & infrunitæ ne tradas me. *Eccles, 23.*

52 Accepta libenti animo, omnia adversa, instar servi, qui humeros flagris promptè inclinat, quæ novit se esse promeritum, Iram Domini portabo, quoniam peccavi Ei.

53 Fuge eorum consortium, qui te laudant, suprà alios extollunt, ne superbia in te pabulum accipiat, & crescat.

54 Cum nemine contendas, sed modestè rationes explica; grandem victoriam arbitrans, vincere te ipsum, nec te pudeat multùm etiam victum esse, in hoc certamine vincit, qui vincitur. Claudicabat Iacob pede, & victus videbatur ab Angelo, sed quia se ipsum vicit, dimittens Angelum, triumphabat certè mente: victus pede, triumphans animô.

55. Injuriam patiens, exclama corde, & ore, Dominus præcepit ei, ut malediceret mihi! 2. Reg: 16. Et cogita, quot aliis & sinè causa injurias intuleris, de quàm multis, propositô, vel factô, vindictam sumpseris! promotiones eorum impediveris? demotiones procuraveris? Offer te in omnes injurias, calumnias, vexas, ut sic probatus, imò afflatus per omnia, dignus efficiaris cœlo!

56. Nec te pudeat ab aliis discere, consilium petere.

Nun-

57. Nunquam cum ullo te compares, nisì ut te magìs deprimas.

58. Intuere dona DEI in te, velut rem alienam, & ſubſterne te DEO, tanquam vile mancipium, ſeu jumentum, Ejus donis ornatum, Et in omnibus casibus, dic, Nonne DEO erit ſubjecta anima mea? Pſal. 61.

59. Laudes tuas erubeſce, cogitans, aliter DEVM de te judicare, & Sanctos Angelos, illudque Thren: de te verificari *Omnes qui glorificabant eam, ſpreverunt eam, quia viderunt ignominiam ejus,*

60. Si reprehendaris, crede, iuſtè hoc fieri, parùm enim prodeſt cohibere lingvam, & corde murmurare. Et cogita, quot tu immeritò reprehendiſti, confudiſti, pænitentijs afflixiſti? quot verbis exacerbaſti. Benè de omnibus loquere, & à ſiniſtris aliorum judicijs, averte aures,

61. Vituperià aliorum cave, ne trahas in laudem tuam, familiare enim eſt ſuperbis, aliorum depreſsione extolli.

62. Non eſt viri æternitatem meditantis, & ſe

& ſe ad mortem, parantis, novitatum correſpondentiâ occupari, illuc potiùs aſpirare, ubi DEVS facit omnia nova. Dum tamen exigit charitas, neceſsitas, reverentia, à literis abſtinendum non eſt, ſed quæ ſint non multùm frequentes, ſpirituales, non officinæ novorum. hœ enim generant depretiationem vitæ Religioſæ, tantò magìs ſenilis, cui cura debet eſſe de æternitate.

63. Aliquorum ſenum vitium eſt ad menſam, fragmenta panis, caſei &c. ſervare in capſam, & poſtea canibus, aut catis diſtribuere, &c. Providentiæ DEI reliquendi, & honeſtati conſulendum religioſæ, huic eſt cura DEO de omnibus,

DE-

DESIDERIA

SANC. SENECTVTIS

Multùm solâ laboris pro animabus suscipiendi, intentione, præstatis. S. P. IGNATIVS ad Hispan.

DESIDERIVM MARTYRII

I. O! Bone IESV, Rex, & Fortitudo Martyrum, sequar Te per Cruces, & cruciatus, per carceres & tormenta, per catastas & calumnias; sequar Te patientem, ut assequar gloriosum! Spiritus promptus, caro infirma, sed & hæc in Te, de Te, pro Te firma, & firmissima! quia talem Tu solus facere potes, dum vis!

2. O Maria Martyrum Regina, admitte me ad Societatem Martyrum! admitte, ad Tuorum dolorum participationem! O Maria istud agas, crucifixi fige plagas, cordi meo, validè, & Tuas superadde! O quàm Beatus

atus, fierem Martyr! Martyr IESV & Mariæ.

3 O! SS. Martyres? Christi Coadjutores! Gloria, & Corona patientis IESV! Regis dolorum Socij! permittite me vobis annumerari! permittite associari! Quidquid tulistis in corpore, passi estis in animo, totum hoc sentire & totalissimè perferre volo, amore Christi! volo, & millies volo! & in singula momenta volo; & ita volo, ut immoriar doloribus, & resuscitet ad multiplicatos, & multiplicandos; volo pati omnium Martyrum cruciatus, catastas, secures, cruces, lanceas, & mori nolo! vivere in illis volo! quantùm DEVS vult! & mori nonnisí saturatus tormentis, injurijs, contumelijs, opprobrijs.

4. Multiplico Martyrum tormenta, & meam multiplico patientiam! desidero omnes dolores omnium Martyrum; sed & eorundem desidero intentionem & patientiam; volo amore DEI mei pati! & usq; ad exinanitionem, usq; ad annihilationē mei, volo pati, &

ti, & lentè pati, quàm lætiſsimè, & crudeliſsimè pati, ut extendant tormenta, intendant activitatem ſuam, & DEVS extendat patientiam meam, extendat vitam ad plura, & plura perferenda, ſic opto! ſic deſidero! ſic ambio!

DESIDERIVM MARTYRII LINGVARũ.

1. Iuſtiſsime DEVS exacue lingvas omnium Creaturarum contra me! Pone me quaſi metam ad ſagittas cum carbonibus deſolatorijs.

2. Sacrifico famam meam, lingvis doloſis, omnes cogitationes, actiones, dictiones, interpretationibus ſiniſtris, intentiones, cenſuris malevolis; cor condemnationibus, gloriam confuſioni. His ſacrifico! his me totum immolo!

3. Circumdent me ſicut apes, lingvæ malignantium; infigant aculeos, & famæ mortiferos morſus! infigant. Patiar ego pro Ieſu meo! & patiar conſtantiſsimè! patiar intenſiſsime! patiar extenſiſsime! & patiar ſi

nē ullo ſolatio, famæ curâ, patiar ſinè compaſſione amicorum! patiar uſquè ad exinanitionem famæ, vitæ!

4. Configatur gloria mea Cruci Chriſti, configatur lingvis detrahentium, ſpernentium, calumniantium, & quotquot jacula lingvarum eſſe poſſunt, configatur omnibus, & configatur uſq; ad exinanitionem famæ, & vitæ!

5. Lingvæ acutiſsimæ, ingenioſiſsimæ, ſarcaſticæ, lingvæ venenatæ, martyrizate famam meam, ſauciate animam, excruciate corpus, totus quantus ſum, hoſtia veſtra ſum! Famæ meæ ſepulchrum, guttur ſit malevolorum. Hic ſepeliar, nec reſurgam, nisì in gloriam æternam.

DESIDERIVM MARTYRII CALAMOrũ.

I. Calami quotquot eſtis, ſcribite contra me amaritudines! atramentate animum, attramentate & corpus! quidquid boni eſt, limate, expungite, quidquid in me imperfectionis eſt, exſcribite, amplificate! dilatate! divulgate.

O cen-

2. O Censores! o correctores calami, censurate, corrigite, & totam vitam limate.

3. Expungite nomen meum catalogo Iustorum, proborum, improbis me adscribite, quibus nullum virtutis studium, honesti nullum.

4. Extenuate merita, talenta, habilitatem, & omnia proscribite, limate, atramentate.

5. Augete infamiam, amplificate incapacitatem, dilatate errata, & quidquid demum defectuum est, exaggerate, damnate omnes actiones meas, & condemnate.

6. Non parcite animæ, non corpori, calami! & si quid acuti, si quid penetrantis, ferientis, habetis, in me convertite tela! in me convertite stylos.

7. Quis mihi dabit pennas detrahentium, calumniatorum! volabo, requiescam in Deo meo! his sagittatus! imò his ad Deum meum levatus, elevatus! volabo, & requiescam.

8. O dura! o sæva hominum ingenia! crudeles mentes! exacuite calamos, his ego me-

ra ero! invito vos! defidero vos! ut amore Christi, feram famæ vulnera, patiar jacula infamiæ! perferam probrofissimam famæ meæ mortem! & minùs, quàm asini sepulturam omnium talentorum, meritorum, capacitatum; affectuum hominum, appretiationum, sepeliar in pulvere ignominiæ, & sepulchralem lapidem apponite æternaturæ infamiæ.

OFFICIVM CRVCIFIXI HONORIS

Pater noster. Cujus singulæ petitiones ad honorem Dei exaltandum, proprium deprimendum, mente, & affectibus accomodandæ erunt eôdemquè modô erunt pronũtiandi versus, qui hymnos præcedunt, aut sequutur, ut sunt, Domine labia mea aperies, Deus in adjutorium meum intende &c. Gloria Patri & Filio & Spiritu &c.

AD MATVTINVM

Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

Deus in adjutorium meum intende.

℟.

℟. Domine ad adjuvandum me festina,
Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto,
Nobis autem confusio faciei.
Sicut erat in principio & nunc & semper &c.

INVITATORIUM

Regi sæculorum immortali & invisibili ✠ soli Deo honor & gloria, *Repetitur.* Regi sæculorum immortali, &c, Nobis confusio!

PSALMUS.

Venite exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro, præocupemus faciem ejus in Confessione, & in psalmis jubilemus ei.

Regi sæculorum immortali, & invisibili, Soli DEO honor & gloria Nobis confusio.

Quoniam DEUS magnus Dominus & Rex magnus, super omnes Deos; quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium, ipse conspicit.
Soli DEO, Honor & Gloria. Nobis confusio!
Quoniam ipsius est mare, & ipse &c. Continuandus Psalmus, eodem modô subjungen-

gendo, invitatorium. Regi sæculorum &c.

HONOR IN VINCVLIS,
HYMNVS.

Iam rara cælo sidera,
  Noctis pavorem temperant,
  Surgamus! inter vincula,
  DEI canamus Filium.
Surgamus! ipsis exciti,
  IESV ligati vinculis,
  Captiva Libertas suis,
  Somnum catenis excutit.
O! cara IESV servitus!
  Tuâ ligari compede,
  Tuis catenis comprimi,
  Nostrôs Honores poscimus.
Te mancipati, postmodùm,
  Tuis Honores nexibus,
  Per Passionis tormina,
  Magnis sequamur passibus,
Soli DEO sit gloria:
  Magnique splendor Nominis,
  Nobisque sit contemptui,
  Honoris æstimatio.

℣. Ho:

℣. Homo pacis meæ, in quo ſperavi, & qui edebat panes meos.
℟. Magnificavit ſuper me ſupplantationem

ORATIO.

Suſcipe Domine humilitatis Sacrificium, Tibi, ex noſtri honoris victimâ, & contemptu oblatum, quod ad Noſtrum exemplum, & imitationem, in Diviniſsimo Honore ſuo, per injurias, ignominias, acerbiſsimam paſſionem ſuam, ac infamem mortem, Tibi dedicavit Vnigenitus Filius Tuus, Dominus noſter Iesus Chriſtus, qui tecum vivit & regnat, Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

AD PRIMAM

HONOR ANTE TRIBVNALIA IVDIcum

REVS

Deus in adjutorium meum intende.
Domine ad adjuvandum &c: ut ſuprà

HYMNVS.

O! Proditoris impij.
Captive lingvâ Conditor,
Et rurſus inſurgentium,

Damna-

Damnate lingvis Iudicum!
Ductore Te, Te Præside,
Nostros Honores temnimus,
Nostrique famam Nominis,
Lingvis litamus hostium.
Nos lingva Iudicantium
Nos sermo detrahentium.
Nos suspicaces, cum suis,
Damnent, Sodales æmulis.
Nos damnet exprobrantium,
Atris, Tribunal calculis,
Nos lingva damnet, quæ Dei,
Non parcit Innocentiæ!
Soli Deo sit gloria.
Magnique splendor Nominis,
Nobisque sit contemptui,
Honoris æstimatio.
℣. Insurrexerunt in me Testes iniqui
℟. Et mentita est iniquitas sibi.

ORATIO.

Suscipe Domine humilitatis &c. ùt suprà

Ad Tertiam

HO-

HONOR FLAGELLATVS.

Deus in adjutorium meum &c. ut ſupra.

H Y M N V S

Heu! ad columnam, maxima,
Cœli columna ſiſtitur!
Suisque nuda veſtibus,
Ipſo pudore, ſe, tegit.
Me, Me ſceleſti, perfidis,
Linguæ flagellis cædite,!
Me, me, meamque Gloriam,
Ad hanc Columnam ſtringite!
En, ut flagellis aptior,
Linguæque fiam verberi,
Nudatus omni gloriâ,
Veſtes honori detraho.
O! ſæva linguæ verbera!
O! dura famæ vulnera!
Veſtrô notati verbere,
DEI æmulamur Filium:
Soli DEO ſit gloria &c. ut ſupra.

AD SEXTAM

HONOR SPINIS CORONATVS.

Deus in adjutor. &c. ut ſupra

HYMNVS.

Salve, ſeveris, Lilium,
Cinctum, vepretis, tempora,
Et inter irridentium,
Inſana, punctum ſcommata!
Et nos acutæ protinùs,
Noſtrique, Famam Nominis,
Linguæ coronent, & ſuis,
Intexta verba ſentibus!
Nos æmulorum ſcommata,
Acuminatis vepribus,
Sarcaſticiſque vulnerent,
Ironiarum luſibus!
Subtile, mordax, invidens,
Suisque pungens fraudibus,
Verbum, parabit ſpineam,
Noſtro, coronam Nomini.
Soli DEO ſit Gloria &c. ut ſuprà.

℣. Omnes videntes me, deriſerunt me.

℟. Locuti ſunt labijs, & moverunt caput.

ORATIO

Suſcipe Domine humilitatis &c. ut ſuprà.

Ad

AD NONAM
HONOR CRVCIFIXVS.

Deus in adjutorium meum &c, ut suprà.

HYMNVS.

Assurge lingua celsiùs,
Nostrique tortor Nominis,
In àëris confinia,
Dei sequamur Filium;
Hic inter alta montium,
Interque risus omnium,
Honoris osores, crucem,
Clavosque, lingua suppleat,
Hic inter amplexus crucis,
Tutè DEO propinquior,
Fixos honores, debitum,
Christo Trophæum dedico!
Sævi Tyranne, si placet,
In nos, Honorum carnifex,
Aperta cordis intima.
Scrutare, linguæ lanceâ.
Hic cogitata, cum meæ,
Intentionis, abditis,
Hic dicta suspicacibus, E2 Exa-

Examinato lancibus.
Soli DEO ſit Gloria &c. ut ſupra.
℣. Foderunt manus meas, & pedes meos,
℟. Dinumeraverunt omnia oſsa mea.

ORATIO

Suſcipe Domine humilitatis &c. ut ſuprà,

AD VESPERAS
MORS HONORIS.

Deus in adjutorium meum &c. ut ſuprà,

HYMNVS.

O! Mors Honorum maxima,
Nox, & cadentis Gloriæ!
Svadente, ſomnum veſpere,
Noſtros Honores comprime,
Hic inter mortem corporis,
Subire mortem Nominis,
Hic in ſinu Crucis, placet,
IESV perempto commori!
Occlude fama lumina;
Vultum caputque deijce;
Vt mortis in veſtigijs,
DEI ſequamur Filium.

O in

O! in manus Tuas, Pater,
Famæ peremptæ ſpiritum,
Agoniamque Nominis,
Inſtante, commendo, prece.
Soli Deo ſit Gloria &c ut ſuprà:
℣. Ego ſum vermis, & non Homo!
℟. Opprobrium & abjectio plebis.
Oratio. Suſcipe Domine &c. ut ſupra:

Ad COMPLETORIVM.
HONOR SEPVLTVS.

Converte Nos Deus ſalutaris noſter,
Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum &c. ut ſupra:

HYMNVS.

Sed jam, reducto veſpere,
Adultus exſpirat dies,
Vmbræq́ confixæ cruci,
Svadent ſepulchrum gloriæ!
O! Ergo detrahentium,
Guttur, ſepulchrum ſuppleat,
In quo, ſepultum, mortuæ,
Famæ, cadaver, condimus;

Vel

Vel si placet subscriptio,
Hæc, in sepulchri marmore,
Scribantur; Hîc securiùs,
Honor quiescit mortuus,
Tu mortis, & vitæ DEVs!
Famæ sepulchrum poßide,
Vt suscitata, postmodùm,
Ad Te resurgat Iudicem.
Soli DEO sit Gloria &c. ùt suprà.
℣. Persequatur inimicus animam meam
℟. Et gloriam meam in pulverem deducat.
Oratio. Suscipe Domine &c. ut suprà.

DESIDERIVM LABORIS ÆRumnosißimi

I. Deserta Arabia, campus mihi laborum sit, pro Deo meo! sed magis campus desideriorum! Ærumnæ mihi solatium, ærumnæ cibus & potus, ærumnæ deliciæ erunt!

2. Nolo solatia, commoditates nolo! ejuro delicias, illum locum laboris expeto, ubi fames, ubi nuditas, ubi ærumnæ, nec panis, nec aqua; illic desidero laborare, ubi labor, sinè quiete! & ipse labor, quies est! & ipsa quies, labor.

inter

3. Inter maximos labores, frui Deo, satis est!

4. O! quàm suaves ærumnæ, labores quàm dulces! quos condit amor Dei.

5. O! SS. Angeli, quibus mandatum est, Ite Angeli veloces, ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem, non est alius, adlegite me vobis, evolo vobiscum ad hanc Gentem, & totum me illi impendere desidero! asumite me! alis vestris armate me! animate fervore, volabo, & ærumnosissimis me laboribus innodabo, amore Dei mei! sed hoc magìs desidero animô, quàm præstabo opere! Liceret utinam exequi, quod placet desiderare!

DESIDERIVM LABORIS totô ORBE.

I. Non est Apostolus, qui uno in loco Evangelizat, præcepit Christus Apostolis; Ite in mundum universum, prædicate Evangelium. O! si mille mundi darentur, in illis, totus lingua fierem, & totus Iesum prædicarem.

2. Desidero, ah desidero, toto orbe extendere laborem, & ultrà & adhuc ultrà.

3. Desidero, Gentes barbaras, Turcas, Scythas, Æthiopes, terras aridas infructuosas! desidero omnem locum, & omnes angulos mundi, ne cui hominum desim, desidero in eo, non tantùm ad defatigationem, non tantùm ad sanguinem, sed usque ad mortem laborare! O! Si liceret, magìs præstare quàm desiderare.

4. Volo Palatia Principum, Domos Dominorum, sed, & ultimas casas plebeiorum, pauperum, implere laboribus, absque ullo temporali solatio, contentus DEO, qui, unicum solatiū meū est, & Consolator optimus!

5. Adjungo me omnibus laborantibus, in toto orbe, laborantibus, inquam, pro Deo; his me omnibus adjungo, & simul collaborare volo, imò omnes, & singulos superare volo, imò omnes, & singulos superare labores! & à nemine superari! Partior me, inter innumeros, & si singulis adjungere me possem totum, totus, cum omnibus, quæcunque maximè ardua sunt, præstarem.

Quid

6. Quidquid operarij Christi pro Eo faciunt, facio & ego, quidquid tolerant, tolero & ego! heu millies, desidero tolerare! & millies majora.

DESIDERIVM INFIRMIS SERVIENDI

1. Quis infirmatur, & ego non uror? ardeo totus desiderio serviendi infirmis, & desidero servire omnibus, & singulis, infirmis corpore, & infirmis mente!

2. Desidero servire pustulatis, infectis, consumptis à vermibus, infectivè ægris, scabiosis, & servire cum omnimoda charitate, cum seria applicatione, ad prima, & infima obsequia! ah desidero ita servire!

3. Cupio everrere sordes, eijcere, sternere lectos, & mundare, levare infirmos! portare, deportare cupio!

4. Esurio cum esurientibus, & sitio, cum sitientibus, frigeo, cum frigentibus, & æstuo, cum æstuantibus, & illis, eo amore, eo fervore, diligentiâ tantâ, servire volo, ut mihi ipsi! imò ut Christo ipsi! ut Matri Sanctissimæ!

5. Volo omnia Xenodochia obire, visitare carceres, lustrare ægrotorum lectos, stramenta, & ibi infirmantibus, omnia ministrare! volo omnia ad gustum, ad beneplacitum, ad contentationem parare, ita, ac si Christo ipsi servirem! volo! & volo!

6. Adjungo me omnibus visitantibus infirmos, & cum illis omnia, & omnia obsequia obire volo! omnes functiones, humiliationes, consolationes exercere volo!

DESIDERIVM INCARCERATOS VISITANDI

1. Desidero fundum incarceratorum visitare! me omnibus fætoribus immergere! in abyssum fæditatum demittere,

2. Ah desidero purgare carceres, abluere incarceratos, vestire! cooperire! mundare! portare!

3. Desidero omnia illis ministrare! omnes commoditates, delicias conferre.

4. O! si possem cælum inclinare! Cælites inducere, ut præbeant incarceratis solatia! eos

eos delectent! recreent! cælestia dona largiantur,

5. O! si mihi tantùm facultatum, tantùm adesset divitiarum, ut, possem omnes redimere! ditare! omnibus benefacere.

6. Non possum eos aurô, non possum argentô liberare; me ipsum in carcerem offero! cupio pro omnibus, & singulis incarcerari! macerari! mortificari! mori! cupio! & percupio.

7. Stringat me carcer, comprehendant tenebræ, inficiant, conficiant fætores, invadat putredo, rodant vermes! & nihil de carne, nihil de ossibus relinquant.

8. Carcer, mihi cœli instar erit, si proximos meos, & inimicos meos, liberabo, meâ incarceratione, maceratione, exinanitione.

DESIDERIVM, MORIBVNDIS Assistendi.

I. Ad dispositionem moribundorum evocantur non pauci, heu, utinam adjungar singulis, & collaborem.

2. Assisto intentionaliter moribundo Crucifixum repræsento, expono vulnera Salvatoris, amorem explico, invito ad apertum cor, Ejus, & singulares actus, singulis vulneribus Christi accomodo.

3, Heu inclinat caput, tuum in sinum, Christus, an illud reijces, non concedes Capiti IESV locum in sinu tuo aures explicat auditurus confessionem oris tui, an fortè hanc negabis Christo? obsurdesces ad tantum effectum illius, & desideria illius contemnes? Manus extendit ad te amplexandum, & illas admittere dedignaberis? Inclinat Caput, ad dandum tibi osculum pacis, post reconciliationem, & adhuc tardabis confiteri, & differre osculum, pacis æternæ nuntium, pignus beatissimæ visionis! heu respice vulnera pro te patientis, te amantis, te requirentis Christi!

4. Erumpe in cordis dolorem Peccator! funde lachrymas cum Petro, effunde cor contritum cum Magdalena, Pedes Iesu ample-

plectere, dic, Non te dimittam, donec pepercеris mihi; & donec benedixeris mihi.

5. Desidera Panem cælestem, Cibum Angelorum, qui cor tuum confirmet! In fortitudine Cibi istius, venies in montem gloriæ Dei. Et quis non desideraret firmari pane hôc. Panis est, qui delicias præbet Regibus! & cor hominis confirmat.

6. Despice mundum, & respice cælum; respice Deum, & totum te, immerge Bonitati Ejus! Desidera frui Deo, videre Deum, apprehende Deum, associare Deo, & æternùm ama Deum! desidero! & desidero!

7. Dic corde, cupio dissolvi, & esse cum Christo, & MARIA! cupio, percupio!

8: Suspiria, respiria tua, sint IESVS & MARIA, nec aliter spirare, nec aliter respirare, imò nec sperare volo!

9. Impendo dies, impendo noctes, dispositioni morientium, & his laboribus immori volo! Ita vivere liceat! & ita mori liceat!

10 Angeli Custodes adeste! adeste Ss. Patroni

troni

troni, & quod mea omisit negligentia, vester suppleat zelus. Attendite luctanti cum morte, confortate infirmum, hostes tartareos repellite, elevate deficientis mentem, in Deum, suggerite affectus, ut uni Deo intentus, Cordi Ejus immersus, à vobis commendatus, mortalem vitam finiens, à IESV & MARIÆ invocatione, incipiat æternam; propitiante IESV & MARIA.

DESIDERIVM in SCHOLIS DOCENDI

1. In pulverem Scholasticum descendo cum omnibus, & singulis Professoribus, cum primis & ultimis, volo, & millies desidero, eorum sentire labores, defatigationes, ingratitudines, & desidero sentire vivaciter, sentire singulorum, & universorum, & sentire omnimodè, sentire in corpore, & animâ, quia diligo Deum meum, ex toto Corde, & anima!

2. Eo ad Infimam, ubi plùs molestiæ, quàm solatij, ubi labor, pueriles insanias ferre, moderari, dissimulare inurbanitates, com-

ponere

ponere levitates comprimere impetus, rationi minimè subjectos, hæc omnia tolerare, devorare pro Deo meo, volo, & volo millies, & plusquàm millies!

3. Ascendo altiores scholas, plenas scholaribus, quibus impetus pro ratione, quibus, jam crescit sui æstimatio, insolentia crescit, ascendo, & me totum illorum instructioni consecro, & consecro usque ad mei exinanitionem. Quidquid virium, laboriosi Professores, vel lectionibus præparandis, prælegendis, quidquid applicationis, impendent Discipulis informandis, erudiendis, totum ferre volo! totum facere cum omnibus, & præ omnibus desidero!

4. Quidquid illi patiuntur censurarum, Doctrinæ suæ à Majoribus, ab æqualibus, à discipulis, totum id pati volo! & adhuc perseverare in labore, in doctrina, in rudium informatione, desidero! & desidero ita pati! ita vivere.

5. Tantùm volo laborare pro pluribus, quan-

quantùm pro uno, tantùm me impendere
uni, quantùm omnibus, ut tantùm proma-
nare Gloriæ Dei, ex progreſſu unius, quan-
tùm ex omnium, & tantùm ex omnium,
quantùm ex unius.

Mori, immori labori ſcholaſtico volo, &
me totum, per ærumnas Studiorum, per vi-
giles noctes, per repetitos conatus, pulve-
ri Scholaſtico inſepelire, Ah utinam votô
hôc, compenſem negligentias Scholaſticas,
quas olim commiſi.

DESIDERIVM LABORIS CONCIOnatorij

I. Deſidero IESVM ſequi docentem, E-
vangelizanté, & deſidero eo fervore, eô zelo,
contentione eâ prædicare, quâ Chriſtus! ſi
tamen deſiderium hoc attingere poteſt.

2. Magis proportionatum mihi eſt, deſi-
derare laborem hominum, ad quem anhe-
lo, quem deſidero. Volo cum omnibus A-
poſtolis, Concionatoribus, laborare, & la-
borare uſq; ad defatigationem, uſq; ad ſan-
guinem, uſque ad mortem, imò prolon-
gatio-

gationem mortis expeto; & extensionem laboris desidero.

3. Prædicare volo, cum mea exinanitione vocis, virium, corporis, & animæ. & cum Auditoris fructu, compunctione, vitiorum detestatione, extirpatione; virtutum radicatione, cum amoris Dei intensione, & extensione, Cælestium desideriô, ambitione, amore; contemptu terrenorum, Desidero sic prædicare, & me totum lucris animarum dare.

4. Nihil loqui volo, nisì quod dirigatur ad Deum, & sit secundùm Deum, sit pro Deo.

5. Christus priusquàm expediret Apostolos, in mundum universum, ad prædicandum Evangelium, triennio illos erudivit, Ipse Professor, & Magister, et postea misit Spiritum Sanctum de quo prædixit, *Ille vos docebit omnia.* Domine Iesu, doce me loqui pro TE, et de TE, immitte Spiritum sanctum, qui doceat me omnia, Ejus loquar doctrinam, Ejus fervore, activitate Ejus, et effi-

caciâ Ejus, loquar, nihil ſcire volo, nihil loqui, niſi quod Spiritus Sanctiſsimus dabit.

6. Quam ego deſidero Gratiam Spiritus Sanctiſsimi, da illam, Deus Optime Miſericors, & Miſerator Dominus, da actu laborantibus, zelantibus, prædicantibus, ut Te ſolum quærãt, per lucra animarum, & quem, in ſalutem noſtram miſiſti, Dominum noſtrum IESVM Chriſtum!

DESIDERIVM LABORIS in REFEctorio

I. Servire omnibus, & in omnibus volo! volo me accomodare ſingulorum placitis, deſiderijs, guſtibus, inclinationibus, & ita deſidero, ac ſi ipſi ſervirem Chriſto!

2. Deſidero miniſtrare fercula, ut ſapiat omnibus, Chriſti paupertas! volo ſingula pocula, Chriſti ſangvine condire.

3. Exemplô Chriſti mei, exemplaris mei, tranſiens miniſtrabo omnibus! miniſtrabo omnia, quæcunq; deſideraverint, juſserint, miniſtrabo, cum omni applicatione, teneritudine affectûs, demiſſione animi, miniſtrabo,

bo! Ita volo miniſtrare! ita obſequijs meis ſervire omnibus! & in omnibus!

DESIDERIVM LABORIS in CVLINA

1. Totum me applicare volo Culinæ laboribus, minimis, & maximis! Hæc ſit theatrum deſideriorum, & contentationum mearum.

2. Volo verrere culinam! ſordes manibus meis eijcere, cloacas expurgare, volo lebetes lavare! ordinare, deportare.

3. Quidquid abominabile eſt, quod maximè horret natura, fugiunt oculi, totum hoc ambio, deplumare anſeres; inteſtina boum purgare, hortenſia mundare deſidero, deſidero ultima culinæ obſequia obire, quàm diligentiſsimè, quàm humillimè, quàm lætiſſimè, quæ omnes horrent, quæ omnes fugiunt.

4. Submitto Coci imperio voluntatem meam, & judicium, parebo illi promptiſsimè, parebo vigilantiſsimè, parebo, ac ſi imperanti Deo! ita ad omnes nutus, obedientiſsimus ero.

DESIDERIVM LABORVM in MISSIONIBVS DISSITIS.

1 Quis mihi dabit pennas, ſicut columbæ? volabo in remotiſsimas Regiones, in illas partes orbis, ubi ſoli exules, & exilium ſunt! ubi nullæ deliciæ, fertilitas nulla, ubi pro delicijs habetur aqua, & arctus panis; omnis felicitatis exilium, illuc volabo, & adjungam me indefeſſis Operarijs, & pro poſse meo, laborabo, Imò illuc volare deſidero, laborare opto, ubi nec pluvia eſt, nec ros, nec panis, nec aqua, ubi ipſa fames, obſonia, ſitis, ambroſia, ubi corporis alimentum ipſe labor eſt, ubi Deus ipſe paſcit homines ſeipsô.

2. Volabo ad terras incognitas, terras in finibus mundi auguſtiatas, deſolatas, ibi per ſudorem, & ſanguinem meum, volo quærere animarum lucra, Deſidero ire per devia, & abrupta, per lutoſa, cacuminoſa, per montes, & rupes, reptare volo: per nemora, per denſiſsimas contendere ambio ſylvas, & ſalutem animarum quærere, O Socij

Chri-

Christi, vineæ Domini Operarij, admittite me ad partem laborum vestrorum, sequar zelum vestrum, utinam assequar, volo sequi proximè, imò volo prævenire vos, anticipare vos, ah volo, & volo,

3, Annumerate me vobis, Sancti Operarij, permittite me Apostolici Messores, vel illas colligere spicas, quæ fugerant manus metentium, Vos, pro gloria DEI, maxima attentatis, præstatis, perficitis; permittite, ut pusio, sequar vos Gigantes, & vel minima, pro Gloria DEI agam, vestrô accensus zelô, vestrô exemplô animatus, sed minima, ubi peregero, ambio quàm maxima, & maximis majora! desidero illis vivere, illis immori.

4, Quis mihi dabit, ut totum me impendam Vestris laboribus, ærumnis vestris Viri Apostolici, Socij Iesu, quæ, pro Gloria Dei suffertis exultantes, volo vestrô animô, ferre omnia adversa, imò majore animô, quàm vestrô perferre.

5, O Bone Iesu, optime zelator animarum

inflam-

inflamma cor meum amore Tui, & amore proximi, hoc amore ardeam, conflagrem hoc amore, & cinis meus scintillas amoris Tui foveat, Amore Tui, cupio omnes à Te salvari animas, omnes peccatores, ad veram Pænitentiam adduci, Desidero, omnes, & omnes homines, Te amare, ut dignus es, nec unquàm à Te deficere, Gratia Tua, mea vota coronet.

OCCVPATIO SENECTVTIS.

Introspicere speculum Nihileitatis Humanæ

VANITATIS MVNDI

HOMO PVLVIS.

I. Verissimè monet Ecclesiastes cap. 10. Quid superbis terra & cinis? superbis, quia terra es? quia cinis es? quid corpus? terra cinis! quid forma corporis? quid venustas oris? terra, cinis, splendeas sericô, niteas aurô, terra es, cinis es, quid superbis? unde superbis & in quē finem

finem ſuperbis? cinis cum ſis, contemni, abijci, calcari debes, quid ſuperbis cinis? terra es; ergo infra omnium pedes jacere debes, terra es vacua, & inanis, quid enim habes, quod à manu DEI non acceperis, quid ergo ſuperbis? quid ſuperbis terra, & cinis? an ideo, quia cinis es? quia terra es?

2. Eccl. c. 10. Idem Eccleſiaſtes ait, non eſt creata hominibus ſuperbia; id eſt, ſi ſeipſum penitùs introſpiciat homo, non habet unde ſuperbiat In creatione hominis, ſine umbra ſuperbiæ apparuit Quid enim homo eſt! compoſitum ex anima & corpore. Quid eſt corpus? terra, cinis, & ante nihil; quid eſt anima? eſt Spiritus, ſed ex nihilo creata, quid ergo es homo? es terra, cinis, nihil. O quàm meritò dixit Eccles: non eſt creata hominibus ſuperbia, non habet non unde ſuperbiat homo, cum ſit terra, & cinis! ſi reſpiciat creationem, ſui originem, unde ſuperbiat, non habet. quid ſuperbis terra & cinis? ſi terra efferret ſe ultra arbores, & ultra àérem

rem, nonnè miraculũ esset? cum superbit homo, qui est in sua origine, pulvis, & cinis, verè apud sanctos prodigium est, imò risus est; depretiatio est. abominatio est.

3. Recogita statuam Nabuch: à Daniele descriptam, o! quàm formosa, quàm pretiosa erat, caput aurum optimum, pectus argenteum, venter æneus, pedum pars, quædam ferrea, quædam, fictilis. Divinate nonnè æternitati coæva statua? quisquis spectasset illam, vidisset aurum, spectasset argentum, ferrum, argillam, & quis illi delubro dixisset, terra es, cinis es, imo dixisset, thesaurus es, Regum deliciæ, & divitiæ, ubi tamen lapis percussit statuam, apparuit, quod erat. Omnia contrita sunt, pariter, & in quid contrita sunt? in pulverem, in cinerem, in favillam! Quid superbis terra & cinis? splendeas licet, ubi te lapis sepulchralis tanget, ubi te mors levi lapillô suô prosternet, apparebis, quod fuisti, et fuisse, quod es.

A udi

Audi Prophetam Nahum C. 3. Intra in lutum, & calca. Intelligisne verba Prophetiæ hujus? O! homo, es lutum, & vivis, stas in luto; parùm est, debes intrare in lutum, per profundam cogitationē, fæditatem illius expendere, & fateri, quia ipse lutum es, & antequam lutum esses, eras nihil, calca igitur hoc lutum, & ab alijs calcari permitte. Lutum non appetit sublimia, etiam infimô locô contentum, ornari, adorari non appetit, & tu quid superbis terra, & cinis? Intra in lutum, consideratione, & calca justâ depretiatione,

HOMINIS ESSE IMPERFECTIssimum est.

I. Esse hominis, ex se, terra, cinis est, sed absque Deo, nihilum est. nihil est. Quid fuit homo priusquàm crearet eum Deus? nihil, quid esset, nisì eum sustentaret? nihil, Ita 1. ad Hebr: Apostolus, Portans omnia, verbo virtutis suæ; si nutrix non portaret infantem, si de manibus dimitteret, caderet, alliderëtur lapidi, absque ejus cura, absque subministra-

nistratione nutrimenti moreretur. Deus velut Nutritius omnium, portans omnia verbo virtutis suæ, & nisì portaret, in nihilum præcipitatus, laberetur mundus, idem puta, de parvo mundo homine. Pictor pingit imaginem, & eâ perfectâ abijcit penicillum, & jam absque pictoris adminiculo stat, perseverat imago. Sculptor, statuam cûm, absolvit, jam ampliùs illa, artifice suo non indiget, absq; adjutorio stat (& ut ita dicam) seipsam conservat; Non sic homo, qui nec ad unum temporis momentum subsistere potest, absque DEI auxilio id est, gratiâ sustentante. Et hoc est, quod intimare vult omnibus Apostolus; Portans omnia verbô virtutis suæ. Nisì te DEVS portaret, jam non esses, O! quàm miser, & miserabilis es, ex te, qui nec esse, nec subsistere absque DEO potes! Gloria equidem tua est, quòd porteris à Deo sed miseria miseriarum, quòd non possis subsistere per te, sed debeas portari, & quidem ab omnipotentia DEI; neque enim ullus

Ange-

Angelorum, aut Archangelorum, sufficiens est, portare imperfectum tuum, nihilum tuum.

2. Tu o DEVs formâsti me, ait David, Psal. 138 & sufficiebatnè formare hominem? minimè, addit optimè Propheta; & posuisti super me manum Tuam, Necesse erat, ut cõservationis manum apponeret Deus, quâ sustentaret hominem, quem creavit, quem formavit, unde non tantùm egebat homo manu Dei, ad formationem sui, ex terra; sed etiam ad conservationem, formâsti me, Vide ergo superbe cinis, quòd non tantùm terra sis, nihil sis in esendo, sed etiam in subsistendo, nisì teneat te Manus Dei. Posuisti manum Tuam super me.

3. Idem Psaltes, recognoscit hoc, Domin⁹ à dextris mihi, ne commovear. Vides, nec stare sinè adjutorio Dei potest homo! in primo momento rueret, in nihilum, & in nihilum converteretur homo, nisì ei à dextris esset Dominus. Dominus à dextris est mihi,

nè commovear. Nullô instante, impellente nullô, commoveretur in nihilum homo, nisì eum manus Domini sustentaret. Dominus à dextris est mihi, nè commovear.

VIRES HOMINIS NVLLÆ.

I. Sanctus David, cùm expendisset Victorias suas, bella feliciter peracta, cæpit sentire stimulos vanæ gloriæ, quos cùm primò cognovisset, exclamavit Psal. 38. Substantia mea tanquam nihilum ante TE. Recogito vires meas; laceravi leones, ursos, tanquam hædos, lapillô prostravi Goliathum, Saulem, imò & dæmonem, pulsando cytharam, vici; prostravi hædos, sed non meis viribus, substantia mea, tanquam nihilum. In nullo calamitatis casu, in nullo bello in persecutionibus nullis extremè cecidit David, dat rationem Psal. 36. Dominus supposuit manum suam. Absque manu Dei, nihil operari, ne manum quidem levare, contra hostem, David potuit; substantia mea tanquam nihilum. Supposuit manum suam, id est, dedit

dit mihi vires, ſtandi, ſubſiſtendi, bellandi, vincendi. Meæ ſubſtantiæ, quæ tanquam nihilum eſt, meis viribus, manui meæ, ſuam adjunxit dexteram Deus, ſuppoſuit manum ſuam.

2. De DEO noſtro, promulgavit S. Apoſtolus Act. 17. In ipſo vivimus, movemur, & ſumus. Vivere, non potes abſq; DEO, nè ad momentum quidem; movere te non potes, abſque DEO, nè digitum quidem aut movere, aut flectere, quid ergo potes operari? Expende igitur robur tuum, expende vires tuas, & cùm tantum Adjutorem habeas, vide, nè quid indignum ejus præſentiâ ejus cooperatione facias.

3, B. Catharina Genuenſis dicebat, nihil ſum, nihil poſſum, nihil mereor. Quid ergo ſuperbis terra & cinis? eſſe non potuiſti abſque Deo, ſubſiſtere nè ad momentum potes, operari abſque Eo, etiam minima non potes, unde ergo ſuperbis? de quo gloriaris? quid habes, quod non accepiſti? exclama

cum

cum Davide, Ad nihilum redactus sum, & nescivi, Psal. 72. quasi diceret, per considerationem mei, deveni ad nihilum meum, in essendo, existendo, operando, & ignorabã! sed iam fateor, & confiteor, quòd nihil sim, nihil possim, nihil merear, In eo possum omnia, qui me confortat.

INDIGENTIA HOMINIS QVAM MAGNA.

I. Gravissimæ sunt necessitates hominis, quibus succurrere solus Deus potest, unde David, inter gemitus, & suspiria, clamabat: De necessitatibus meis erue me Deus meus, multæ sunt, multifariæ, numerosæ, & planè infinitæ necessitates hominis, ex quibus, sola Omnipotẽtia Dei eruere potest, Nota verbum, Eruere, quasi in profundo aliquo, obrutum salvare, insepultum, non sinè ingenti labore extrahere. De Necessitatibus meis, erue me, & maxima est.

INDIGENTIA GRATIÆ SANCTificantis

I. Totus nascitur homo in peccatis. Origina-

ginale peccatum, quantæ malitiæ, & quantorum causa malorum? Concipitur filius iræ damnationis, & ita nascitur: Cùm verò hæc suprema servitus sit, vellet se homo omni conatu, ex ea extricare, & in libertatem filiorum Dei eluctari: hinc pullulat naturalis appetitus Cæli, Deum laudandi, colendi, amandi, si enim omnes bestiæ & pecora, juxta Psalmistam, laudant Deum, quomodo id homo non appeteret? & quia laudare, amare non potest Deum, filius iræ, & damnationis, præcipuè, prout oportet ad salutem, desiderat id, quod ipsum habilitare potest, & hoc est Gratia sanctificans. Apprehende necessitatem Gratiæ sanctificantis, sinè qua, hostis es Dei, nihil dignum cælô operari potes, es abominatio DEI, & Omnium Sanctorum, imò omnium creaturarum. Vbi illa adfuerit, facit te amicum DEI: quid tantô titulô salutarius? quid præstantius? homo, vermis pulvis, nihil, amicus DEI! o! quanta infinitæ Majestatis dignatio! quanta de-

missio!

mißio! amor quantus! Creaturæ suæ, Deum fieri amicum! per sanctificantem Gratiam fit homo hæres cæli, O! quàm præclara hæreditas! fit Ss. Frater, individuus Socius, O! quanta Gratiæ necesßitas! hanc nisi habueris, vix homo eris!

Habes necesßitatem Gratiæ Actualis, secundùm illud Ioan. 15. sinè me, nihil potestis facere. Vnde sæpiùs ingeminare ad Deum debes; non me derelinquas usquequaq; Ps, 118, Ingens necesßitas est Gratiæ finalis, S. Augustinus lib. 2. c, 7. de Bono Perseverantiæ, ait: sicut operatur Deus, ut accedamus, sic operatur, nè recedamus. Vbiq; exclamare potes, Non ego, sed Gratia Dei mecum, 1. Cor. 15

Has necesßitates considerans, ex quibus ipse Deus, te eripere potest, audi dici tibi illa verba apocal. cap. tertio.

3. Dicis, quia dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia miser es, & miserabilis & pauper, & cæcus, & nudus, Applica tibi verba hæc, & expende indigentias

tias tuas, quas nisì Gratia DEI à te amoverit, manebis multùm miſer, & miſerabilis, egentiſsimus.

Miſerum, & miſerabilem te oſtendunt Peccata commiſsa, unde tibi quadrant verba Ieremiæ c, 2, Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas. Vias iniquitatis, ſuperbiæ, tepiditatis, vindictæ &c. An parùm vobis eſt quòd peccâſtis, & uſque in præſentem diem macula hujus ſceleris in vobis permanet Ioſu 22. Peccata præſentia, unde verificantur verba illa, de peccatore: Abominabilis & inutilis homo, bibit ſicut aquam iniquitatem Iob. 15,

Peccata poſsibilia. S. Aug. libr. 2. Confeſs. 12. Gratiæ Tuæ deputo, quæcunque non feci mala.

Meritus es pœnam damnationis, & neſcis remiſsum, nisì quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitâſſet in inferno anima mea Pſal. 93, Delicta noſtra creverunt uſque ad cælum.

Quid es? quid potes! reſpectu DEI, An-

gelorum, Sanctorum, hîc cum Seraphico Francisco; Ego abyssus vanitatis, ignorantiarum, & nihil, Tu Deus meus, abyssus veritatis, sapientiæ, bonitatis, & rerum omnium, Deus meus & omnia!

Inspice hoc speculum Vanitatis, & Vilitatis tuæ, inspice indigentias tuas, quibus te eripere sola Gratia Dei potest; agnosce te in omnibus nihil, & minùs, quàm nihil absq; Gratia, Dei esse, igitur Miser Miserabilis; unde dic: Ego verò egenus & pauper sum.

VI.

VIA

Ad

MORTEM SANCT.

SEV.

OCCVPATIONES, Ad BONAM MORTEM, SENIVM DISPONENTES.

Senectus, mortis prælудium est, B. Theodoretus, de Provid: DEI. S. 8.

Verè senectus illa venerabilis est, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea enim est reverenda Canities quæ est canities animæ, in canis cogitationibus, & operibus effulgens. Quæ enim est verè ætas senectutis, nisì vita immaculata, quæ non diebus, aut mensibus, sed virtutibus, propagatur. Ambrosius Ep. 60.

Probrum est, senem annis esse, & puerum moribus. Sen.

OCCVPATIO PRIMARIA SENECTVTIS.

I. Nulla actio sit absque sublimi intentione, cogitationes omnes, actiones, vota, desideria, referente ad Deum solum & unicum.

2. Nullum tempus labatur sinè actu supernaturali, per intentionem sublimatô.

3. Virtutes, merita, operationes, omnium creaturarum intellectualium, omnes, & omnes, per reflexam, & novam ordinationem earum ad Deum, suas facere.

4. Omnes operationes, & motus omnium creaturarum intellectualium, per reflexam ad Deum, & novam ordinationem earum, suas facere.

5. Operationes peccatorum, ac damnatorum, quatenùs sunt peccaminosæ, irritare, quatenùs verò sunt indifferentes, ad DEVM ordinare.

6. Intensionem proportionis omnimodæ, his omnibus adjungere.

Non

7. Non intendere ullum proprium meritum, tantò magìs præmium, sed solùm DEI Gloriam, & gustum, ut sit id, quod est.

ACTVS INTENTIONIS,

I, Propter Te DEVS meus! propter Te Vnicum, propter Te Solum! omnia,& omnia, cogitationes, verba, & opera,.

2. Amore Tui Deus totum facere! & totum pati volo! amore intensissimo, extensissimo, solidissimo.

3. Amore Dei purissimô, intensissimô; extensissimô, omnia cogitare, desiderare, velle, operari! volo!

4. Amore Seraphico, omnium Creaturarum actiones bonas, indifferentes offero; & omnes ex amore Dei fieri exopto.

5. Amore MARIANO, Creaturæ omnis intellectualis, actiones bonas, voluntates, desideria condiri volo, easque tendere ad solam & unicam Gloriam DEI!

6. Amore Theandrico, si capax hujus essem, vellem compensare DEO meo, omnes blasphe-

blaſphemias damnatorum, eorum actus ſuperando actibus intenſiſsimis Amoris Dei Venerationis, & millies, & millies! & infinities millies, ſuperando eorum numerum amore, ſuperando malitiam, profundiſsima veneratione, dishonores compenſando.

7. Exuo me omni deſiderio, omni ſpe, cujuscunque meriti, & præmij, tam temporalis quàm æterni, unicam intendo, deſidero, quæro, curo, Majorem, & ſemper majorem Gloriam Dei! hæc mihi præmium! hæc merces opulentiſsima, & ea ſola!

8. Omnium peccatorum actiones, Legi Divinæ, difformes, quantùm eſt ex me, annihilo, irrito! & omnem intellectualem Creaturam invito ad ſatisfaciendum Deo, pro illis, ac redamandum infinities; & infinities ſupra omnes offenſas intenſiùs, extenſiùs.

OCCVPATIONES SENECTVTIS.

Imitare S. Iobi ſenium, qui cùm numeroſos jam decurriſſet annos, ait Cap. 10. *Tædet animam meam vitæ meæ.* Quot ſuſpiria! quot deſi-

desideria cæli, tunc elicuit Iustissimus Iob! vitam cùm despiceret temporaneam, exambiebat æternam: Tædet animam meam vitæ meæ! Tædet! S. Pater Noster Ignatius, ùt testatur A. R. P. Vincentius Caraffa, de Divino amore c. 10. dicebat sæpiùs; Educ de custodia animam meam, ad confitendum Tibi! ac si diceret: Tædet animam meam vitæ meæ, Non dixit S. Iob. Tædet corpus meum vitæ meæ, sed tædet animam meam, corpus de terra, terrenum, adhæret terræ, & æternare in ea cupiens, sed anima immortalis ad cæli æternitatem aspirat, vitam mortalem dedignata; Tædet animā, educ de Custodia vitam meam ad confitendum Tibi.

Et tu dicisnè sincerè, post tot transactos annos, tot commissa delicta, post tot indulgentias Dei, in medio tribulationum positus, dicisnè sincerè, Tædet animam meam vitæ meæ! ah verè tædet! tædet cùm Bonitatem Dei considero, cùm Misericordiam Dei appello; Tædet animam meam vitæ meæ vi-

vitæ ærumnosæ, peccatis subjectæ tædet! & tædet animam vitæ meæ, dum meliorem spero! & totô me ambio! O Domine DEVS, *Dimittam adversùm me eloquium meum.* Loquar in amaritudine animæ meæ! Tum demum dimittā adversùm eloquiū meū, (ait S. Iob) cùm tædebit vitæ meæ! quamdiu enim amorem vitæ habuero, nullum eloquium adversùm me dicam, nec loquar in amaritudine animæ meæ! Loquar peccata mea! loquar scelera mea, adversum me, fœditates meas, imperfectiones, irreligiositates, & loquar adversùm me! loquar in amaritudine animæ meæ! O amaritudo amarissima! tot & tantis peccatis offendisse Deum! o! amaritudo animæ! heu utinam priùs consumpta fuisses, quàm Deum primò offendisti! loquar in amaritudine animæ meæ, peccata deplorantis, pænitentis, dolentis in amaritudine amarissima animæ meæ, loquar peccata mea! *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?* Senium est; finis vitæ instat. Paucitas dierum

K me-

meorum finietur breví! breví! & brevì! Et paucitas dierum eſt, paucitas! & finietur brevì iſta paucitas! Quid me lactas ſpes vitæ? moriendum eſt, & moriendum brevì! paucitas dierum meorum finietur brevì! & quantùm eſt hoc brevì! Sed & adhuc valetudo firma: concoctio fortis, ſomnus & ſvavis, & longus, nec moroſa, nec doloroſa eſt ſenectus; nihilominus, dic cum S. Iobo, Paucitas dierum meorum, finietur breví! & breví, & hoc ipſum brevì, erit breviſsimum!

Dimitte ergo me, ut plangam paululùm dolorem meum,

Dimitte me malorum conſvetudo, ut plangam paululùm.

Dimitte me luxuria, dimitte iracundia, dimitte ſuperbia, dimitte vindicta, ut plangam paululùm!

Heu malorum conſvetudo, converſatio, bonorum contemptus, & tu tepiditas, dimitte me, ut plangam paululùm, imò ut plangam non paululùm!

Dimittite me vanitates, cupiditates, ſenſualita-

alitates, Vanæ gloriæ ſtudia, dimittite me ut plangam paululùm! qui offendit multùm, plangat multùm, ah! dimittite me ut plangam, & plangam non paululùm!

Teneor cupiditatibus meis, coarctor malis habitibus, & funes peccatorum meorum circumplexi ſunt me! heu dimittite me! ut plangam!

Vt plangam dolorem meum! dolorem imperfectum, dolorem ſervilem, non ex puro amore Dei procedentem; ut plangam dolorem meum: heu doleo! me non ſatis de peccatis doluiſſe! Peccavi ſuper arenam maris, iniquè egi, ita vixi in terra ſanctorũ nec dolui! vel ſi dolui, non ita, ut offenſus Deus dignus erat! non ita ut peccata mea merebantur, heu dimittite me, ut plangam!

Ah Deus meus! dimitte me de anguſtijs meis, ut in amaritudine animæ meæ, plangam dolorem meum, & plangam, ut Tu dignus es, plangam, ad deletionem peccatorum, plangam ad ſalutem animæ meæ! plan-

gam! & planctu meo cœlum terrasq́ impl ā.

O! Sancta Peccatrix! quæ prima cæpisti, lachrymis rigare Pedes Iesu, Impetra fervorem doloris Tui, & ubertatem lachrymarum Tuarum, ut plangam paululùm dolorem meum! Impetra lachrymarum tuarum vim, ut plangam! Plangam ficut Tu! diligam ficut Tu, & abfolvar ficut Tu.

S. Petre, qui amarè flebas, deflendo peccata tua, impetra mihi lachrymas, ut in amaritudine animæ meæ, plangam paululùm peccata mea! & non paululùm! ut refpiciat me Christus, illô oculô quô Te afpexit, ut plangeres.

Sancti, Sanctæq́ Pœnitentes, veſtro corde, amore veſtro, lachrymis veſtris, peccata mea doleo! Affundite veſtras lachrymas, meis lachrymis. ut ponat eas Deus in conſpectu ſuo! ah ponat! & acceptet.

Refugium peccatorum, Mater Sanctiſsima, impetra mihi lachrymas doloris, ut plangam paululùm, & non paululùm plangam, peccata

cata mea! O Mater Beatissima sis mihi Platanus exaltata, super aquas lachrymarum mearum! Platanus Protectionis, & defensionis meæ! & Platanus super aquas, respiciens lachrymas meas, & offerens Deo meo! ut plangam paululùm, plangam dignè Deo, plangam dignè oblatione MARIÆ! plangam, ut totum cor in lachrymas, in dolorem effundam! & fiat magna, sicut mare, Contritio mea!

Addit S. Iob. Antequàm vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine.

Adverte proindè, quàm providè S. Patriarcha deflere peccata sua voluit. Antequàm vadam. Non in ipso mortis articulo, aut momento, dolere de peccatis voluit, sed antequàm vadam! Tempestivè deflenda peccata: dimitte me, ut plangam paululùm dolorem meum, antequàm vadam &c. Non jam appropinquante Mortis momento, sed antequàm vadam.

Ante-

Antequàm horror mortis invadet me, antequàm dolores mortis obſidebunt; Antequàm maligna creſcet, loquelam ſubtrahet, rationem turbabit, antequàm! antequàm Doctores de corporis ſanitate conferent, à me reſilient; antequàm vires me deficient, recedet ratio, vel turbabitur! antequàm lacrymas ejulatusque circumſtantium audiam, qui turbant magìs, quàm ſolantur. Antequàm & antequàm invadent me impedimenta ſalutis;

Dimitte ergo me Dulciſsime Iesu, ſeu potiùs permitte, ut plangam paululùm dolorem meum, ſed antequàm vadam ad terram tenebroſam &c.

Præcedant Pœnitentes lachrymæ, mortem, præcedat cor contritum; Antequã vadã &c.

Præcedat Oratio, petens compunctionis lachrymas, antequàm vadam.

O IESV, Fons omnium bonorum, concede mihi donum lachrymarum, ut plangam & plangam non paululùm, quia peccavi, non

paulu-

paululùm. Concede Fons omnis Bonitatis, ut sit, magna, velut mare contritio mea, immergar totus lachrymis, & pelagus lachrymarum operiat caput meum.

CONFESSIO

I. Aperite mihi portas Iustitiæ, ingressus in eas, confitebor Domino! sed quàm difficilè mihi peccatori intrare portas Iustitiæ, qui meritò clamo; nè intres in Iudicium cum servo Tuo Domine.

2, Aperite mihi Portas Misericordiæ, ingressus in eas confitebor Domino! aperite portas Misericordiæ, & Paternæ Clementiæ! aperite!

3. Confitebor Tibi Deus in toto corde meo, in toto, ex toto! Tibi eviscerando cor meum. In toto corde meo, confitebor Tibi Domine, in toto corde totaliter confitebor Tibi, & totalissimè!

4. Tibi soli peccavi! & malum coram Te feci! In oculis Bonitatis Tuæ peccavi! quidquid, malorum est, perpetravi! Tibi soli peccavi, quia neminem tam graviter offendi,

sicut

ſicut Te, Deus meus! Peccavi & alijs, ſed Tibi ſoli maximè, quia Maximus es quia Optimus es! & Deus es! Omnipotens, & cujus Miſericordiæ non eſt numerus. Tibi ſoli peccavi! ah peccavi! & ſuper arenam maris peccavi! Tibi ſoli! O! quanta mala feci in oculis Majeſtatis, & Bonitatis Tuæ, Feci licentioſiſsimè, feci audaciſsimè, feci malitioſiſsimè, o quanta mala feci, & feci coram Te, Dimitte ergo me, ut plangam paululùm, imò non paululùm.

5. Eccl. 51, Propterea confitebor, & laudem dicam Domino. Confeſsio mea, gloria Deo ſit, mihi peccatori cõfuſio, ah confuſio, & poteſtnè eſſe major, quàm deliquiſſe contrà DEVM, Confitebor, & laudem dicam Domino.

6. Qui abſcondit ſcelera ſua, nõ dirigetur, qui autem Confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Prover. 28,

7. Confitebor Tibi Deus, in toto corde meo, confitebor delicta mea, ſcelera mea, paſsi-

paſsiones meas, imperfectiones meas, ſenſualitates; & confitebor in toto corde meo, Heu! permitte me Deus meus, ut plangam paululùm dolorem meum, dolorem tardum, imperfectum, langvidum, plangam dolorem meum indignum cœlô, & indignum TE. Dimitte ergo me Miſericordiſsime Deus, ut plangam dolórem meum, plangam ardentiſsimè, plangam ferventiſsimè, plangam ad exinanitionem mei, & ad exaltationem Tui, plangam intenſiſsimè ad confuſionẽ meam, & plangam ad plenariam Indulgentiam Tuam.

DOLOR de PECCATIS.

1. Væ tempori in quo Te Deus meus non amavi, væ æternùm tempori, inquo Te Deus meus, offendi.

2. Væ, væ, heu quibus gradibus deductus ſum in profunda inferni. S. Aug lib. 3. Conf. c. 6.

3. Proh dolor quem fructum habui, in quibus nunc erubeſco, S. Bernard. ſerm: 16, in Cant.

4. Miserere mei Deus! miserere mei qui totum cor effundo in dolorem, quia peccavi nimis, nimis, heu peccavi nimis! & doleo nimium! heu Deus meus, doleo quàm intensissimè, quàm perfectissimè, omnipossibiliter, & doleo de singulis ac omnibus peccatis meis, quia peccavi Tibi.

5. Doleo dolore pœnitentis Petri, flentis amarè! Doleo dolore lachrymantis Magdalenæ! fiat magna, sicut mare contritio mea.

6. Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam Tuam! miserere mei! mei peccatoris maximi, mei Filij prodigi, mei, servi peccati, mancipij Sathanæ! miserere mei & miserere secundùm magnam misericordiam Tuam, quia peccavi super arenam maris! heu peccavi, & iniquitates supergressæ sunt caput meum, miserere mei Deus, & cor novum crea in me Deus, ut, ubi dolor, & contritio vera, antiquum consumpserit, succedat novum, & millies succedat novum, &

dole-

doleat de peccatis commiſsis, doleat dolore omnium Pœnitentium, dolore omnium Te amantium, ſic dolens, vivere volo, ſic dolens, Liqueſiat ſicut cera à dolore cor meum, & Tu cor novum crea in me DEVS, & millies crea, & millies ut millies defluat dolore.

ACTVS FIDEI

1. Credo Domine quidquid vis, & jubes, Credo, adjuva incredulitatē meam, Marc: 9.

2, Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, Fides noſtra Ioan. epiſt. 1. c. 5.

3, Teſtimonia Tua Deus, credibilia facta ſunt nimis, Pſal. 92.

4. Auge nobis Fidem Luc. 17,

5. Quidquid S. Catholica Eccleſia proponit credendum, Credo totaliſsimè, credo firmiſsimè, & toto me credo.

ACTVS SPEI,

1. In Te Domine ſperavi, non confundar in æternum, Pſal. 70, In Te Domine ſperavi non in alio, In Te, & in ſolo Te.

2. Tu es ſpes mea, Portio mea in terra viventium; Pſal. 141.

3, Beatus eſt vir, cujus eſt Nomen Domini, ſpes ejus; & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas Pſal, 39 non reſpexi.

4. Etiamſi me occiderit, in ipſo ſperabo Job. 13,

5, Si Deus pro nobis, quis contra nos Rom. 8,

ACTVS AMORIS DEI.

I. Serò Te amavi, Pulchritudo tam antiqua; & tam nova; ſerò Te amavi S, Aug: Conf. lib. 10. cap 27.

2. Perdit, quod vivit, qui Deum non diligit S, Aug. Man. 4,

3. Amorem Tui ſolùm cum gratia Tua mihi dones, & dives ſum ſatis. S. Ignatius in exerc: ſpibus.

4. Amare Deum, & amari à Deo, & ampliùs nihil P. Caraffa, Gen: S. I. Nihil opto, deſidero nihil, præter amorem Dei, hoc ſolùm volo, amare Deum, & amari à Deo, hoc ſolùm volo, & ſufficit mihi.

Si quis

5. Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum, anathema sit 1. ad Cor 16.

6 Domine toto me, totis viribus meis, Toto Te, totisq; viribus Tuis, amo Te; amo, amo Te, super, superque amo!

7, Cupio Domine, cupio, & potentissimâ vehementâ cupio amorem Tui magnum; ampliorem, vastiorem, imò maximum, amplissimum, vastissimum.

8. Cupio amorem Tui, absorptivum mei in Te, Tui in me.

9. Cupio, amore Tui absumi, consumi, & perire.

10, O! Deus, amo Te omnipossibiliter, omnitudinaliter, Amo Te, Domini Iesu Christi Corde, Amo Corde MARIÆ, Omnium Sanctorum, Sanctarumq; Cordibus, heroicis affectibus, amo & in æternum amare volo.

ACTVS GRATITVDINIS.

1. Gratiâ Dei, id sum, quod sum, 1. ad Cor. 15.

2. Misericordias Domini in æternum cantabo. Psalm: 88.

diri-

3. Dirupisti Domine vincula mea, Tibi sacrificabo Hostiam laudis. Psal: 115.

4. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, Iere: Thren: 3.

5. Tibi laus, Tibi Gloria, Fons Misericordiarum. S. Aug. lib, 6. Conf. C. 16.

ACTVS RESIGNATIONIS.

1. Deus meus es Tu, in manibus tuis sortes meæ. Psal. 30.

2. Hæc mihi consolatio, ut affligens me dolore, non parcat. Iob. 6 Non parcat affligendo sed parcat, peccata condonando.

3. Placebo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in persecutionibus, in angustijs, pro Christo. Cor: 12.

4. Absit mihi gloriari, nisi in cruce D. N. I. Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo Gal: 6.

5. Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. 2. ad Cor. 1.

ACTVS FERVORIS.

Spiri-

1. Spiritu ferventes, Domino servientes. Rom. 12.

2. Maledictus qui facit opus DEI negligenter. Ier: 48

3, Exultavit ùt Gigas, ad currendam viam. Psal. 18,

4; Continuò non acquievi carni, & sanguini, Actor.

5. Dormitavit anima mea præ tædio Ps: 118

6. Surge qui dormis, & illuminabit te Christus, imò & accendet.

ACTVS ZELI GLORIÆ DIVINÆ;

1 Non nobis, Domine non nobis, sed Nomini Tuo, da gloriam. Psal. 113

2 O Domine, o! amor meus o! deliciæ cordis mei, si te homines nosent, nunquam te offenderent, S. P. Ignatius.

3, Defectio tenuit me, pro peccatoribus delinquentibus legem tuam. Psal. 118,

4, Exaltare super Cælos Deus, & super omnem terram Gloria tua!

Omnis

5, Omnis terra adoret te, & pſallat tibi., Pſalmum dicat Nomini tuo. Pſal. 65,

ACTVS CONTEMPTVS MVNDI

1. Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum, patiatur, Matt. 16. Quid prodeſt, quid prodeſt?

2. Averte oculos meos, ne videant vanitatem. Pſal: 118, Vanitatem, vanitatem, quid prodeſt videre:

3, Omnia detrimentum feci, & arbitror, ùt ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. Pſal. 3, Omnia arbitror ùt ſtercora, omnia, & omnia.

4, Pereat mundi lucrum, nè fiat animæ damnum S. Auguſt: Med: c. 7.

5. Abſcedat vanitas, accedat divinitas, transformet Charitas, ut totus fiam Divinus S. Bonav: in ſtimul. Amoris. Abſcedat vanitas ab intellectu, eam contemnendo, abſcedat à corde, eam odiô habendo, abſcedat & ab oculis, eam deſpiciendo, & nunquam reſpiciendo.

actus

ACTVS DESIDERII VISIONIS DEI

1. O! ingens locus habitationis Dei, quando inhabitabo te.

2. O Ierusalem, quæ sursum es, Mater nostra, quando videbo, & inibo claritatem tuã:

3. O! terra Promissionis, lacte & melle fluens, quando veniam ad te?

4. O! Regnum Regnorum, quando regnabo in te, & tu quando regnabis in me?

5. O! Sancta Hæreditas, quando hæreditabo te?

6. Desidero videre te Bonum, supra omnia Bona, Deus meus! desidero amare te! frui te!

7. Desidero laudare, & exaltare te, super omnia.

8. Desidero videre IESVM Redemptorem meum! laudare, amare & exaltare IESVM, super omnia!

9. Desidero videre Matrem Dei MARIAM, desidero laudare Illam, amare illam, exaltare illam.

10. Desidero associari Sanctis Angelis,

Sanctis Societatis, Sanctis Omnibus, & cum illis incessabili voce clamare, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

ACTVS DESIDERII Smæ VNCTIONIS

1. Vnge me Domine oleô lætitiæ, & exultationis.

2. O Iesu Fili olei, inunge me, sanctifica me, ut uni tibi vivam, & pro te, in te moriar.

3. Domine, descende priusquam moriatur servus tuus, & unge eum manu tuâ.

4. Vnctus Christi cùm fuero, Christi solius ero! & totus ero.

5. Ego vero egenus & pauper sum, nec habeo quidquam, nisi parùm olei, quô ungar! De tot commoditatibus, delicijs, honoribus, non restat, nisí parùm olei, & parùm, & olei tantùm.

Actus tempore Extremæ Vnctionis,

INVNCTIO OCVLORVM,

1. O! Oculi, animæ meæ scopuli, Heu quoties ad hos scopulos lethaliter allisit anima mea, heu quoties. O lu-

2. O! lumina mea, quoties mihi luxiſtis ad perditionem, lumina in interitum.

3. O! retia peccatorum oculi, quoties animam meam captiuâſtis, heu quoties & alienas animas irretiſtis.

4. Heu extinguat Mors lumina, claudat oculos, nè videant ſuorum ſcelerum gravitatem.

5. O! Ieſu Fili Olei, illumina oculos meos, ne unquàm obdormiam in morte. Lucerna pedibus meis, verbum Tuum.

INVNCTIO ORIS

I. O labia quis veſtros abſterget lapſus.

2. Heu vir polluti labij ego ſum.

3. Adhuc latet venenum aſpidum, ſub lingua mea.

4. Non ignitus carbo Seraphini, ſed ignis infernalis purgabit os meum.

5. O Dulciſsime Ieſu, Cujus labia ſanctifica labia mea, ad proferendum Nomen Tuum Ieſus.

INVNCTIO NARIVM.

1. O quàm tardè sordet mihi terra, heu tardè!

2. O quàm tardè, cælum mihi olet benè!

3, O Dulcissime Iesu, amore Tui langueo, trahe me post Te, in odorem unguentorum Tuorum, curram.

4, Heu! omnia arbitror ùt stercora, ut Christum lucri faciam.

5, Ne fæteat Tibi Deus meus anima mea, quia plusquàm quatriduanus Lazarus sum.

INVNCTIO AVRIVM.

1. O Deus meus, Tu aures perfecisti mihi, ego obseravi Mandatis, & Gratijs tuis.

2. Ego sum, qui in auditu auris non obedivi tibi.

3. Vixi, heu vixi in modum aspidis, obdurantis aures voci tuæ, Deus meus.

4, Et quis surdus? nisì ego servus Tuus.

5, Domine Iesu, mitte digitos tuos in auriculas meas, ut audiã à te. Venite Benedicti

INVNCTIO PEDVM.

1. O pedes! pedes! quibus erravi, sicut ovis quæ perijt, heu quoties erravi,

tu

2. Tu quidem gressus meos dinumerâsti, sed parce peccatis meis.

3, Heu! quàm veloces pedes mei erant, ad effundẽdum sanguinem Christi per peccata.

4, O pedes lassati. in via iniquitatis, resumite vires, ad sepulchrum eundum est.

5. Domine Iesu, qui via es, vias tuas demonstra mihi. & semitas tuas edoce me.

Sequar te Domine Iesu, da ut assequar.

ACTVS DESIDERII VIATICI Ssmi

I. Surge, comede, grandis tibi restat via,

2. Panem Angelorum manducabit homo.

3, Qui manducat Carnem meam vivet in æternùm.

4, Sicut cervus desiderat ad fortem aquam ita desiderat anima mea Cibum Angelorum Viaticum Perigrinorum, & adhuc desiderat magìs & infinities magìs.

5, Expectans expectabo Dominum, & custodiet me, nutriet me! enutriet me, reficiet me.

6, Ne transeas servum Tuum Domine.

Veni

7. Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora servo tuo,

8. Dulcedo ineffabilis, dulcora animam meam Deo meo.

Post SVMPTIONEM Ssmi VIATICI.

1. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus! ibimus.

2. Dominus à dextris mihi, nè commovear

3. Præcedat Dominus servum, & servus suus sequetur vestigia Domini sui.

4. Ibo in fortitudine Cibi istius, in montem Choreb.

5. Panis hic, cor hominis confirmat.

6. Videte, & gustate, quàm svavis est Dominus.

7. Vincenti dabo edere de ligno Vitæ.

8. Vivo ego, jam non ego, vivit verò Christus in me.

9. Sive vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur.

10 Exultavit ùt Gigas ad currendam viam.

domi-

11. Homo ſatiabitur bonis. Prou: 13,

12. O! quàm ſvavis Panis Angelorum, Pignus æternæ Gloriæ.

13. Guſtate, & videte quàm ſvavis, eſt Dominus.

14, Satiavit Deus meus animam inanem Pſal. 106,

15, Et adipe frumenti ſatiavit me Pſal. 147

16. O! verè inveni in ore leonis mel. O! quàm ſvavis es Domine diligentibus Te! O! Dulcedo ineffabilis, ſatia animam meam! refice corpus meum, In Domum Domini ibimus, Vadam in fortitudine Cibi iſtius in montem Domini.

INVOCATIO CHRISTI

1. IESV Fili David miſerere mei.

2. Domine ut videam! videam Te in æternùm.

3, Domine IESV, ecce quem amas, infirmatur.

4, Domine IESV, ecce qui Te amat infirmatur.

Domi-

5, Domine IESV salus mea, Fortitudo mea.

6. Anima IESV sanctifica me &c: singula penitiùs considerentur.

INVOCATIO Bmæ MARIÆ VIRGINIS.

1. Mater DEI memento mei.

2. O! Maria, sis propitia,

3, O! Mater Dei, illos tuos misericordes oculos in me converte.

4, Et Iesum Benedictum Fructum Ventris Tui, mihi, in hora mortis ostende, ostende! ah suscipe! suscipe.

5, MARIA Mater Gratiæ, Mater Misericordiæ, Tu me, ab hoste protege, & horâ mortis, suscipe,

6. Anima MARIÆ sanctifica me &c. singula penitiùs considerentur.

INVOCATIO S. PATRONI

1. O! Sancte Patrone, Vox clamantis in deserto, vim patior, responde pro me.

2. Vox Clamantis, clama pro me ad Deum meum! exalta, sicut tuba vocem Tuam pro me! utique Tuo. Osten-

3. Ostende mihi IESVM Agnum qui tollit peccata mundi, & sufficit mihi, ostende Agnum, Dominatorem terræ, & cæli.

4. S. Ioannes Baptista, digitô, quô ostendisti Christum, ostende mihi viam ad illum! ostende, ostende.

5. Præcursor Domini, Tu mihi Dux, Tu mihi Comes, ad DEVM sis.

INVOCATIO S. PATRIS IGNATII.

1. O! Pater amantissime, Pater & amor meus! S. Ignati, non desere filium, & si minimum, & si prodigum! tamen Tuum.

2. Surgam, & ibo ad Patrem meum! meum! & meum.

3. Pater peccavi in cælum! & coram te! nè reijcias filium quærentem te, & amantem Te.

4. Pater Optime, impetra mihi apud Deum, stolam primam, & annulum beatæ æternitatis.

5. O! S. Pater Ignati! Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, tu autem susce-

pisti me! in hora mortis non desere me.

6. Tu Pater meus, & Mater mea, si ego amisi, quod filij erat, Tu non amisisti quod Patris est.

7. Pater, non desere Filium! o! S. Pater monstra te esse Patrem! monstra te esse Matrem! Pater meus & Mater mea dereliquerunt, & tu suscepisti me! tu Pater meus, & Mater mea es.

INVOCATIO S. FRANCISCI XAVERIj.

1. O! Pater animæ meæ! vitæ meæ, Cujus intercessione, ultra quadraginta annos vivo, Pater meus esto.

2. Repulisti à me Premisliæ prostratô unctô, repulisti temporalem mortem, repelle jam æternam.

3. Pater S. Clientem tuum non deseras.

4. Imperâsti mari, & facta est tranquillitas magna; ecce anima mea in diluvio aquarum multarum, compesce fluctus, & animam deduc in tranquillitatem æternam, in portum visionis DEI.

sol

5. Sol obedivit voci tuæ, ſiſte ſolem & excita in me amorem DEI, totus ardeam, tam intenſiſsimè, ut in momento in cineres redigar.

6. O! Tuum Xaveri Ampliùs, meum cor accendat, ut ampliùs & ampliùs amore Christi patiar! ampliùs & ampliùs amori Christi immoriar.

INVOCATIO S. FRANCISCI BORGIÆ

I. S. Borgia, Mundi contemptor egregie, doce me, quæ mundi ſunt contemnere, quæ cæli, æſtimare, amare!

2. S. Borgia, tibi mors Iſabellæ, Magiſtra vitæ ſanctioris erat fac interceſsione tua, ut me, mea mors ſanctum reddat.

3. O! Pater S. doce me humilitatem, ut infra Dæmones me abjiciam; doce amorem DEI, quô me ſupra Angelos efferam!

4. O! S, Dux, Princeps ſancte, doce me vivere, & mori Borgianè.

5. Amore tui Sancte Borgia, reverentiâ Tuâ, amo veneror, latentem ſubſpeciebꝰ Panis Deum. N2 deſi-

6. Desidero mortem desiderijs Borgianis, & mori cupio, Borgianè.

INVOCATIO B. STANISLAI KOSTKA

1, In utero Matris, Nomine Iesu insignite Beate Kostka; imprime cordi meo, ori meo, nomen Iesu! ah imprime!

2, Mariæ Sanctissimæ Fili, & Cultor eximie impetra mihi, ut Mater mea sit! quæ Mater Tua fuit!

3. Mundi Sancte transfuga, doce me fugere quæ mundi sunt!

4; Terrestris Seraphine, totus amore Dei ardens, accende cor meum! ardeam totus amore Dei, Tui amoris ardeam intensione, extensione, ardeam totus, sicut carbo, & ardeam usque in cinerem! convertar!

5. O! Beate Simeon, qui meruisti Infantem Iesum, in manibus Tuis portare; in pectore tuo habere, cõmunica mihi has delicias communica nunc, & in momẽto mortis meæ!

6, Vivam totus Stanislai vitâ, moriar totus in amore Dei, quô ardebat Stanislaus!

invo-

INVOCATIO B, ALOYSII GONZAGA

1, Sancte Angele boni consilij, impetra mihi, ut vitæ mortique consulam, quàm optimè!

2, Dilecte, Mariæ, Sanctissimæ, Fili impetra mihi, ut dignè amem Mariam, & amer à Maria!

3. Beate Angele, calcar illud, quod tuô sangvine purpurâsti, admove cordi meo; adde stimulos amoris Dei, cordi meo! propelle illud ad Mariæ amorem, imprime cordi meo, omnes affectus, quos in vita, & in morte habuisti!

4, B. Theologe, doce me finem vitæ meæ, secundùm leges Divinæ Theologiæ, concludere! doce mori Theologicè, Gonzagianè!

5, Quæ tibi erant in morte charissima; cum quibus tu libenter mortuus es, & mihi fac charissima!

INVOCATIO Ss. MART: IAPONensium

1, Sancti, Ioannes, Paule, & Iacobe, Martyres Christi, Vestris Crucibus, Lanceis vestris munite animam meam!

Præ-

2. Præcludite armis vestris, tartareo hosti aditum ad me, quæ vestro sangvine purpurâstis, sanctificâstis!

3. Vestra Corda, Sancti Martyres, Lanceata Crux penetravit, efficite, ut cor meum penetret amor Dei!

4. Davidi sitienti, tulerunt tres milites, aquam, de Cisterna, quæ est in Bethleem; Sancte Ternio Militum Christi, ambrosiâ cælesti refice me! mitte digitum in aquam cælestem, mitte guttam, ut refrigeret me, quia crucior, in hac flamma.

5. O! Sancti Milites veri Iesu Socij, illas columnas igneas, quæ ad corpora vestra vigilabant; expedite ad me, invigilent vitæ, ac morti meæ! hæ columnæ ducant, & deducant me, in terram promissionis, in terram beatissimæ visionis! ducant me! deducant me, ut vobis associatus, laudem & amem Deum in æternum!

INVOCATIO Ss. Mm. Societatis

1. Patres Ss. Vestro cruore purpurati, no-

mine

mine Iesu insigniti, Iesu Societas adeste, ad Societatem vestram, properanti!

2. Victores Gloriosissimi ferte subsidium deficienti Fratri vestro, & Vestro Clienti adeste!

3. Palmis, quas in manibus tenetis, abigite hostes animæ meæ! & mihi impetrate palmam.

4. O! Sancti Triumphatores, subvenite luctanti cum doloribus mortis! pugnate pro me! vincite! Vestris victorijs triumphem!

5. Ss. Martyres, purpurata Societas Iesu, contra hostium insidias, vestro fervore, animi robore, vestro amore; armate me, munite me!

6. Castra militantis Iesu, cingite me, accessum ad me hosti præcludite, nec me vinci sinite! vester sum vocatione, sim vester Sancta æmulatione, & cælestis gloriæ sim vester Socius, participatione.

INVOCATIO Ss. CONFESSORUM Sctis.

I. Confessores Sancti, adeste socio vestro,

porri-

porrigite manus cadenti! suggerite affe-ctus, morienti.

2. Disponite animam meam, Iesu, veri socij, excitate actus! provacate lachrymas! concitate suspiria, animate, vestris affectibus desideria.

3. SS. Ascetæ, quibus conversatio erat in Cælis, cum Cælis, suggerite Cælestes affectus, Cæli desideria, amorem.

4. SS. Contemptores mundi, docete me ea, quæ mundi sunt, contemnere, & cælestia æstimare, & dignè desiderare, amare, occupare

5. Adeste Sancti victores mundi; Triumphatores carnis, adeste, insinuate modos, quàm ardentisimè amandi DEVM, colendi, incorporandi, intrinsecandi, identificandi.

6. O SS. Triumphantis Societàtis Confessores, Gloriæ Cælestis comprehensores, Iesu Fidelisimi Socij, subvenite certanti cum inferno! socio vestro, cultori vestro,

Ve-

Vestro Clienti! subvenite & me Societati vestræ adjungite! me vobis associate!

INVOCATIO Sanctorum IGNOTORUM, & Sanctarum IGNOTARUM.

1. Omnes Ss. Ignoti, o! Ss. Ignotæ vos orbis non novit, nō colit; invoco ego! invito! colo!

2. Subvenite Ss. Ignoti, & Ignotæ! subvenite ignoto servo vestro, cultori vestro, subvenite!

3. Innotescat, si non Nominis, saltèm virtutis vestræ gloriæq; favor, mihi cum morte certanti, & vos o! Ss. Patroni, Patronæque, in subsidium, invocanti.

4. Heu! succurrite Ss. Sanctæq; succurrite date opem fatiscenti: formate intellectum in recogitanda Misericordia DEI, voluntatem in amando DEO, desiderando.

5. Pandite viam æternitatis! amovete obstacula, vos Duces mei! vos Comites mei! sed proximè præeant mihi amores mei, IESUS & MARIA.





hic autem finis alt
cus alter civilis
est cultus Dei. [illegible]
citas populorum
ad Dei gloriam
rtq [illegible] tantum dat
rioribus leges st
tum, ea subdit

Ecclesia praeter
recte fiant potest etiam praecipere
bonum finem. v.g.
3tio Ecclesia reipsa p
qui fiant propter
Ergo Ecclesia potes
ut actus fiant
adeoque potest pr
internos necessari

decumbuntur oti

+

et multa praecep
eruere que nec
a divina v vet
sunt.

  ergo[?] etiam ultissim[?]
tuunt leges qu
sunt statuta e
  2do etiam hom
testatem leges
al ad bonum co
t. 3tio quia si ha
minibus deesset n
is taliva[?].

ines non possun
cipere, nisi it qu
ommune spectat. i
toret ad bonum co
esset acomodata non
in posibilis ad a[?]
t potius inimicam
hominum, quam
libet intelliger de
ecclesiasticis.

lex humanus capi
e que do ad fin
necesaria sun

F